614/2/1
BGRS/an

DISSERTATIO MEDICA,

I AUGURALIS,

DE

TUSSI CONVULSIVA.

GALLEY, T.

DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE TUSSI CONVULSIVA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

THOMAS GALLEY,

ANGLO-BRITANNUS.

Soc. Chem. Soc.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXV.

348163

Viro jure celeberrimo

GULIELMO CULLEN, M. D.

Praxeos Medicinae in Academia Edinenſi Profeſſori,

Regio apud Scotos medico primario,

&c. &c.

Qui medicinam mancam, obſcuram, confuſam accepit,

Et eandem laboribus ſuis feliciſſimis,

Omnique ſeculo venturo multum profuturis,

Auctam, illuſtratam,

E mole non parum rudi et indigeſta

In ordinem pulcherrimum redactam relinquet,

Cum, non ſine maximo verae ſcientiae amantium dolore,

Annis plenus et gloria onuſtus,

Fato tandem concedet,

Ob et ingenium mirandum, et eam comitatem,

Qua ſe aſſidue proſecutus eſt,

Inſignem;

Nec non

Fratri ſuo dilectiſſimo,

J O A N N I G A L L E Y,

Mercatori Liverpolienſi,

Propter ſummum ſtudium et voluntatem vere fraternam,

Omni tempore, et in omni re,

Per totum vitae ejus decurſum,

In ſeſe conſtanter perſpicueque demonſtrata;

Hanc diſſertationem medicam inauguralem,

Ea, qua par eſt, obſervantia,

D. D. CQ.

A U C T O R.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30386767

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

TUSSI CONVULSIVA.

ALIA alios ad ſcribendum impellunt, immortalitatis cupido, patriae totiuſve ſocietatis hominum et conjunctionis amor, ſpes lucri deteſtanda, magiſter artis ingeniique largitor venter, multaque genus non diſſimile, quae recenſere longius foret. Quanquam nulla ex his ſcribam ſuadent; juſſum hujuſce academiae illuſtriſſimae tamen, cui ſummos medicinae honores ſibi adipiſcendi cupidus pareat oportet, ineluctabilem mihi non tantum aliquid exarandi, ſed in vulgus etiam edendi, neceſſitatem injungit. Cum res ita ſeſe habeat, de *Tuſſi Convulſiva* pau-

cis diſſerere decrevi, non quod me aliquid certius vel etiam probabilius, quam alios, qui idem argumentum jam executi ſint, afferre, eoſve arte ſcribendi ſuperare, poſſe credo; ſed quo, omnibus morbum funeſtiſſimum ſpectantibus accuratius et curioſius ſtudendo, ad medicinam faciendam paratior accedam, et, quibuſnam ſtragi, quam haec peſtis puerilis graviſſima ſoleat edere, horrendae efficaciſſime poſſit occurri, non ignorem.

DEFINITIO MORBI.

Cum viri illuſtriſſimi Culleni propria cuilibet, quam ipſi poſſimus excogitare, et omnibus etiam a Noſologis aliis hucuſque conſcriptis non parum videatur praeſtare, eam immutatam ſine ulla dubitatione adhibebimus. ‘ Morbus contagioſus; tuſſis convulſiva ſtrangulans, cum inſpiratione ſonora, iterata; ſaepe vomitus*.’

HISTORIA.

* Vide Synop. Noſol. Method. Gen. LVII.

HISTORIA.

Hic morbus alia ſibi nomina apud alios auctores et populos fuit adeptus. A Sydenhamio et Huxhamio, viris omni laude merito ornandis, *Pertuſſis;* ab Hoffmanno illuſtri *Tuſſis Convulſiva* ſive *Ferina;* a Sauvageſio *Tuſſis Ferina Convulſiva* et *Amphimerina Tuſſiculoſa*, qui morbum in complures ſpecies ſine cauſa ſatis gravi, quantum judicare poſſumus, dividendum curavit; a Culleno Noſologorum principe *Pertuſſis;* a Gallis *la Coqueluche*, vel *Paroxyſmes Quintes*; ab Anglis *Chincough* aut *Hoopincough*; et a Scotis admodum quidem ſignificanter *Kinkcough* appellatur. Quantum ad noſmet attinet, *Tuſſis Convulſiva* ei nomen, utpote quod vim morbi et naturam magis dilucide, quam reliqua modo percurſa, enunciare videatur, indere non dubitavimus.

Hunc morbum antiquos ex toto latuiſſe non pauci credunt. Quibuſnam vero rationibus fidem huic opinioni indubitatam comparare poſ-

ſint,

ſint, neſcimus. Namque morbus a veteribus praetermiſſus, eum in mortales hiſce ſeculis non invaſiſſe, minime probat. Cauſam potius, cur attentionem eorum et induſtriam fugiſſe ſuſpicemur, relinquit. Nec morbus recens ortus, qui ſcriptores vetuſtiſſimos praeterierit, quemque nec ſecula recentiora nec noſtrum ante viderit, protinus pro novo habendus. Certam etenim ſententiae hujuſmodi fidem derogant, corpus humanum, ſi mutationes leviores, quae a victus ratione, munditia majore vel minore, ſolum natale regionibus locisque longe diſſitis mutando, ſimilibusque oriri poſſint, excipias, magna ex parte ſemper idem ; aër, omnibus perpetuo circumdatus, idem, et nihil fere a primordiis rerum ad tempus praeſens uſque novum, ſed ſtabile fixumque manens. Si haec aliter ſentientibus minus arriſerint, et aliquid rectius noverint, per nos quidem omnino licet ſententiae ſuae noſtram poſtponant.

Hoc inter omnes convenit, nullam ejus mentionem, niſi intra trecentos et octoginta annos, aut circiter, proxime elapſos, ab ullo recentiorum fieri coepiſſe. Vir celebris Mezeray in hiſtoria Galliae ſua memoriae prodit, anno 1414 exortum, vaſtitatem fere toti regioni intuliſſe.

Inſuper,

Inſuper, Franciſcus Valeriola, medicus Avenionenſis, refert, ſemet anno 1570 in totam Galliam diffudiſſe, et viros, mulieres, pueros, ſine ullo diſcrimine, graviter exercuiſſe*. Ballonius † quoque morbis anni 1578 epidemicis annumerat, et in infantes puerosque modum in miſerandum ſaeviiſſe commemorat. Ex eo tempore Europam univerſam non raro peragravit, et multa millia rapuit, nec ſtrage, quam ediderat, foediſſima ſatiatus, nec infantum vagientium parentumve moerentium, quos orbos reliquerat, miſericordia tactus.

Proximum eſt, ut ſigna hujuſce morbi propria enumeremus.

Morbus quidem pro febrili plerumque haberi poteſt; quanquam rem aliter ſe habere exiſtimavit Sydenhamius ſagaciſſimus. Exempla quidem ſemet oſtendunt, ubi notae febris parum manifeſtae ſunt. Caeterum tres e quatuor aegrotantium, ſaltem apud Scotos, plus minuſve, praeſertim ſub initium, febricitant, uti in praelectionibus ſuis de uſu practico manuſcriptis memoriae prodit pater Gregorius, vir omni laude digniſſimus,

* In Append. loc. com. p. 45.

† Lib. 2. de epid. et ephem.

digniſſimus, cui ſumma omni in re fides habenda. Febris aliquando una cum tuſſi accedit. Hanc interdum ſubſequitur, et ſemet, niſi poſt aliquot dierum intervallum, non oſtendit. Cum morbum comitatur, nunquam, quantum notare potuimus, ſpeciem febris intermittentis regularem ſibi induit. Conſtanter ſubeſt, modo levior, modo gravior; ſed, veſpere appetente, vis ejus intenditur, et ad mane proximum uſque infeſtare pergit. Tuſſis plerumque complures dies, immo duas, treſve ſeptimanas, vel ſpatium temporis multo longius, ante pergit, quam formam verae convulſivae ſibi aſſumit, catarrhum communem ex toto referens, quanquam morbus poſtea ſe pertuſſim genuinam eſſe pro certo oſtendit. Immo nonnullis in caſibus tuſſis nunquam convulſiva evadit, licet, utrum morbus necne adſit, ambigi nequeat. Haec vero rariſſime incidunt; namque altera, vel tertia hebdomada, poſtquam morbus invaſit, ſpeciem convulſivae prae ſeſe ferre plerumque incipit. Muſculi autem expirationi inſervientes, frequentius, rapidius, violentiuſque ſolito agentes, hanc formam ei conciliant. Haec actio, in diverſis tuſſiendi exemplis, gradu magnopere variat. Igitur, quo tempore, ſi ſtricte loquaris, tuſſis

pro

pro convulſiva debeat haberi, non ſemper clare et evidenter apparet. Nihil vero dubitationis de hoc alicui injici poteſt, ſi expirationem praeter conſuetudinem frequenter, rapide, violenterque, ut modo poſitum, peractam excipiat inſpiratio ſonora. Hanc autem, exemplis in diverſis, aliqua ex parte diverſam, aëre interno magna quantitate e pulmonibus per motus expirandi convulſivos ſaepius reiteratos expulſo, dat aër externus per glottidem in pulmones velocitate inuſitata deſcendens. Hac inſpiratione ſonora finita, tuſſis convulſiva rurſus oritur, et eodem modo ut ante pergit, donec nonnihil muci e pulmonibus excreetur, viſcidum et colorem aliqua ex parte caeruleum habens, vel ea, quae ventriculus continet, rejiciantur. Una vel altera harum evacuationum finem tuſſiendi plerumque facit, et aegrotus ab hoc ſigno moleſtiſſimo in aliquantum temporis liber manet. Nihil interdum, niſi poſt paroxyſmos tuſſiendi et ſonore inſpirandi complures, excreatur vel evomitur. Hoc vero poſt alterum plerumque incidit, et paroxyſmum abſolvit.

Cum morbus hoc modo faciem ſibi propriam induit, diu, plerumque ab uno ad tres menſes, manere conſuevit. Aliquando vero ſpatium multo

multo longius habet, et in annum totum vel amplius producitur, rebus admodum diverſis non parum variatus. Exempla quidem hoc genus rariora. Si morbus hyeme vel vere epidemice graſſatur, caloribus aeſtivis appetentibus, decedere ſolet.

Quantum tuſſiendi paroxyſmos ſpectat, ex intervallis variis repetunt, nullius certi circuitus tenaces. Frequenter interdiu, frequentius etiamnum noctu, invadunt. Acceſſionem eorundem titillationis laryngis ſenſus nunquam non antecedit, qui omnes fere pueros de paroxyſmo appropinquante praemonere notatur. Hinc fit, ut, eo invaſuro, guttur manibus, quaſi hac ratione poſſent arcere, fortiter apprehendant, et pedes nonnunquam terrae violenter impingant. Quinetiam cuilibet obvio, quo violentam dolentemque ſuccuſſionem, quam toti corpori infert tuſſis, defugiant, firmiter adhaerent, vel ab adſtantibus, ut ſe quam arctiſſime teneant, exorant. Paroxyſmo ad finem perducto, aegrotantes aliquando ſpiritum celeriter trahunt; et in tempus breve fatigati eſſe videntur. In multis vero hoc vix notabile; et pueri eo uſque plerumque levantur, ut protinus ludere rurſus incipiant, vel id,

id, in quo ante fuerunt occupati, agere pergant.

Si paroxyſmus tuſſiendi vomitione finitur, aeger plerumque momento cibi appetentiſſimus evadit, et voraciter ſibi appoſitum ſumit. Vomitio hujuſcemodi libera ſignis optimis annumeranda, quod ſigna febris brevi ex toto depellere conſuevit.

Cum hic morbus aegrotantem primum occupat, nihil aliquando omnino, vel mucus tenuis tantum extuſſitur. Dum res ita ſeſe habet, paroxyſmi tuſſiendi violentius urgent diutiuſque manent. Sputum vero brevi copioſius evadit, et mucus admodum craſſus, ſaepe magna quantitate, expectoratur. Quo facilius hoc fit, eo brevius ſpatium habent tuſſiendi paroxyſmi.

Tuſſis magna violentia crebreque revertens tranſitum ſanguinis per pulmones non interpellare non poteſt; et igitur reditui ejuſdem libero a vaſis capitis evidenter obſiſtit. Hoc, ut facies, inter tuſſiendum, plerumque turgeſcat, ſummo rubore ſuffundatur, et interdum fere nigreſcat, facit, et in cauſa, cur ſanguis e naribus, quod periculo quidem plerumque vacat, et ex auribus oculiſque quoque, quod hoc in morbo nonnunquam ſolet incidere, prorumpat, eſſe videtur.

Aliud inſuper ſignum, quod ſilentio minime praetereundum, tuſſimque convulſivam frequenter comitatur, eſt ſpiritus difficilis. Non paroxyſmos tuſſiendi protinus antecedit vel ſubſequitur, ſed conſtanter urget, in aliis aegrotantibus alius.

Cum morbus per vim contagionis ſemel motus eſt, formamque ſibi propriam aſſumpſit, paroxyſmi tuſſiendi, nulla cauſa, quae detegi poteſt, eos excitante, frequenter reiterantur*. Caeterum, multis in exemplis, contagium pro ſeminio tantum haberi poteſt; et reditus paroxyſmorum creber a cauſis excitantibus variis, ut exercitatione violenta, cibo liberaliter ſumpto, concoctuque difficili; pulmonibus per fumum, pulverem, vel odores valentiores et ingratos, irritatis; et potiſſimum motu animi quolibet vehementiore, aliqua ex parte pendet.

Dum febris infeſtat, extrema corporis praeter conſuetudinem frigeſcunt, quod in omnibus febribus, ubi impetus humorum adauctus ad quodlibet viſcerum fit, incidere ſolet. Alvus plerumque

* Vide Primas Uſus Practici Lineas Culleni celeberrimi, unde hoc et multa quidem alia hunc morbum ſpectantia ſumus mutuati.

rumque adſtricta, quanquam interdum fuſa. Hoc vero inuſitatum.

Cum facies ob nimiam humorum quantitatem in pulmonibus accumulatam ſemper admodum rubeſcat, et ſaepe ex toto liveſcat, morbum aegrotantem, apoplexiam, convulſiones, paralyſes, aliaque gravia idem genus vitia, ei inferendo, non raro ſublaturum eſſe facile ſperares. Exempla quidem hujuſmodi non defuerunt; perquam vero ſunt rara. Cum in pueros plerumque invadat morbus, quamvis aetatem adultam quoque nonnunquam corripit, cumque vaſa eorundem ſanguifera magnopere dilatari poſſint, et morbum loco proprium affectumve quemlibet morbidum ſingularem rariſſime habeant, magnam diſtenſionem, organis vix ulla ex parte laeſis, recipere valent.

Quinetiam morbus aliquando memoriam minus tenacem reddit; hoc vero in adultis potius, quam in pueris, incidit. Alia quoque noxa, quae a curſu ſanguinis nimio pulmones verſus facto proficiſcitur, eſt inflammatio horum vel peripneumonia multis in exemplis excitata, quam tubercula et obſtructiones, tandemque phthiſis pulmonalis, excipiunt. Ab actione muſculorum violenta in pueris, quibus compages cor-

porea

porea laxior ſit, herniae nonnunquam oriuntur, et urina ſtercuſque inter paroxyſmos ſine voluntate excernuntur. Eadem cauſa quoque gravidis aliquando partum elidit.

Quae ſigna morbum ab aliis ſecernunt.

Tuſſim convulſivam quidem a catarrho a frigore proficiſcente per aliquot, ut ſupra in hiſtoria morbi fuit comprehenſum, ſeptimanas vix ullo modo diſtinguere et internoſcere valemus. Si vero morbus epidemice graſſetur, viciniamque totam infeſtet, potiſſimum ſi aliquis ejuſdem familiae eo manifeſte conflictetur, et puer adultuſve, qui eo hucuſque caruerit, tuſſi corripiatur eandem incolens domum, vix ambigi poteſt, quin aeger tuſſi convulſiva laboret. Non parum ſimilitudinis hunc morbum inter et aſthma intercedit. Clare tamen a ſe invicem ſecerni poſſunt. Spirandi difficultas anguſtiaeque in pectore ſenſus, in aſthmate, per intervalla ſubeunt. In tuſſi convulſiva, contra, ſpiritus difficilis, ſi, quod ſaepiſſime incidit, invadit, conſtanter urget et aegrotum exercet. Aſthma in totum populum nunquam ſeſe diffundit, in ſingulos tan-

tum

tum ſaevit, nunquam contagione vulgatur, aetate provectiores multo ſaepius, quam infantes puerosque, occupat. Quod vero hiſce omnibus ex toto contrarium eſt, id in tuſſi convulſiva incidit. Vomitus in aſthmate rarius, in tuſſi convulſiva ſaepe, ſemet oſtendit. In utroque quidem morbo interdum non oriri non poteſt; namque muſculi expirationi inſervientes non raro validiſſime agunt, et ventriculum ita, ut contenta non rejicere non poſſit, concutiunt. Quod vero tuſſim convulſivam ab aſthmate, et omni quidem alio tuſſis genere ſpecieque, manifeſte ſecernit, id eſt inſpiratio ſonora, quam nemo, qui eam ſemel attentus audiverit, in poſterum ignorare poteſt. Si haec igitur adſit, non eſt, cur de natura morbi et indole amplius dubitetur.

Quae mortales ad morbum proclives efficiunt.

Quod ſolum ad hunc morbum proclivitatem dat, id eſſe videtur morbo nunquam ante laboraviſſe. Nemo etenim, qui ſaevitiae ejus ſemel fuit objectus, in eum unquam iterum incidit. Iis igitur morbis, qui mortales per totum vitae

decurſum

decurſum ſemel tantum invadunt, plane annumerandus. Quidnam in cauſa ſit, cur hic, aut quilibet alius, homines in unam vicem tantum infeſtet, dictu in primis difficile eſt. An aliquid ſyſtemati humano a partu uſque ineſt, quod morbus hujuſmodi, a contagione ſingulari et ſpecifica pendens, invadens tollit, et ita corpus adverſus reditum ſuum in poſterum tutum efficit? Hoc non admodum probabile eſſe videtur. An corpus igitur, contagione qualibet ſpecifica, qualis eſt tuſſis convulſivae, variolae, rubeolaeve propria, ſemel aſſuetum, ea poſtea multo minus, vel nihil omnino, movetur? Conſuetudo quidem, ut omnes norunt, potentiſſima eſt, et huic opinioni fidem facere videntur ſequentia. Qui in locis depreſſioribus, et inter paludes, unde miaſmata copioſiſſime oriuntur, nati et educati ſunt, ii multo rarius, quam advenae, in febres intermittentes et remittentes incidere ſolent; et, ſi corripiuntur, non in aequo, ac illi, periculo verſantur. Namque multo pauciores indigenarum, quam aliorum, febribus hujuſmodi extinguuntur. Nutrices quoque apud noſocomia, quae, in aegrotantibus curandis verſatae, aëre miaſmatis plus minuſve inquinato conſtanter utuntur, a morbis contagioſis, quibus ita objiciuntur,

untur, immunes ſaepe diu vivunt, et aetatem provectiorem, valetudine ex toto illibata, nonnunquam attingunt. Venena ipſa quoque vi conſuetudinis innocua evadunt, ſi a quantitate eorum admodum parva incipias, et gradatim ad majorem, tandemque ad maximam, progrediaris. Exempla hujus luculentiſſima praebent, opium apud Turcas quam maxime liberaliter adhibitum, et quantitates cicutae, hyoſcyami, aconiti, et ſimilium mirandae, a medicis hodiernis, potiſſimum a Homio noſtro celeberrimo, nuper tutoque* praeſcriptae. Denique, neminem, qui medicinam labris primoribus deguſtavit, latere poteſt, mercurium, nimis ſaepe liberaliterque adhibitum, non parum inertem evadere et luem veneream inveteratam vix depellere poſſe. Nonne haec et alia idem genus non pauca, quae facile poſſent proferri, corpus humanum ab hiſce morbis, qui ſemel tantum invadere ſoleant, vi conſuetudinis, qua nihil potentius, eove, quod contagione jam imbutum aſſuetumque fuit, in poſterum tutum praeſtari, aliqua ex parte ſaltem probabile reddunt?

Quae

* Vide Clin. Exper.

Quae morbum excitant.

Quod hunc morbum conſtanter movet, id eſt contagio ſpecifica dotibuſque ſingularis, quae corpori humano admota morbum omnino eundem, nullave re magna differentem, ſemper facit. Non neceſſario, uti ex hiſtoria judicare licet, febrem excitat, nullo exanthemate ſtipatur, nullam mutationem humoribus humanis evidentem infert, in morem contagionis catarrhi rubeolaeque propriae fabricam pulmoneam potiſſimum infeſtat, ſed ibi longe diverſa praeſtat. Qualis vel hujus, vel cujuſlibet alius, contagii natura ſit, nos ex toto latet. Unde oriatur, vel afferatur, nos quoque fugit. Cum igitur nihil certum et indubitatum dicendum habeamus, uſu conjecturarum, quae de rebus hujuſmodi toties fuerunt prolatae, merarum abſtinere decrevimus. Hoc tantum notandum putamus, contagionem, unde unde proficiſcatur, in aërem longe lateque diffundi videri, quod multi, ab aegrotantibus procul remoti, quique nullum, quantum poſſit detegi, cum iis commercium habent, in morbum incidere ſolent.

Quanquam

Quanquam contagio ſpecifica, ut modo poſitum, pro cauſa unica excitante, quae tuſſim convulſivam genuinam et veram dare valet, habenda eſt; multa tamen vim ejus et actionem intendere, paroxyſmos tuſſiendi frequentiores, et morbum igitur graviorem efficere poſſunt. Hujuſcemodi ſunt omnia, quae corpus univerſum partemve ejus ſtimulo nimis potente afficiunt, ut frigus ſuperficiei applicatum, effectuſque ejus communis, perſpiratio ſuppreſſa, exercitatio acrior et vehementior; mucus nimis craſſus tenaxque, et igitur irritans, in bronchiis excretus; irritamenta externa per vias reſpirandi in pulmones devecta, aër juſto frigidior, fumus, vapores ingrati; vociferatio, cantus, riſus, aliaque ſimilia; frigida, corpore praeter conſuetudinem calefacto, potui data, alimenta concoctu difficilia, ventriculus ipſe nimia cibi potioniſque quantitate diſtenſus; quibus omnibus accedunt concitationes animi vehementiores, ut ira, terror, gaudium inſperatum et repentinum.

CAUSA PROXIMA.

Quae auctores ſuper cauſis morborum proximis memoriae prodiderunt, ea plerumque ſunt parum certa, et dubia, et non raro tenebris ſpiſſiſſimis involuta. Haec nullibi, quam in morbis ſpaſmodico-convulſivis et contagioſis, evidentius apparet. Quantum tuſſim convulſivam ſpectat, alii in pharynge, alii in larynge, alii in pulmonibus, alii in ventriculo, ſedere contendunt. Tuſſis vero, quae ſignum hujuſce morbi praecipuum eſt, et vix aliunde, quam a vitio pulmonum, oriri poteſt, morbum hos potiſſimum tenere ſatis clare evidenterque demonſtrare videtur. Non quidem ventriculum, ſed non aliter quam per conſenſum illum celeberrimum et notiſſimum ſolum, qui eum inter et reliquas ſyſtematis partes, etiam remotiſſimas, intercedit, magnopere interdum turbari et affici negamus. Quomodo enim hic morbus ſedere poteſt, cum tota contagionis vis pulmones verſus, idque ſummo impetu, plane dirigatur, et effectus ibi violentiſſimos

lentiſſimos edat, ventriculo interea non raro prorſus intacto et integro? Nonne mirabile eſt, medicum ſagaciſſimum Huxhamium morbum hic, quam alibi, collocare maluiſſe? Sede vero morbi comperta, quidnam pro cauſa ejus proxima habendum? Summa et exquiſita, ſi ſenſa animi noſtri ſuper re tam dubia liceat proferre, totius ſyſtematis pulmonei irritabilitas, quae, leviſſima cauſa excitante agente, ſpaſmos fibris bronchiorum muſcularibus, et muſculis totius forſitan laryngis, ſed potiſſimum glottidis, propriis, graviſſimos inferri facillime patitur. Quomodo contagio hanc irritabilitatem moveat, fortaſſe rogabitur. Hoc quidem, ob naturam contagionis parum clare adhuc intellectam, magna ex parte ignoramus. Caeterum hoc compertum habetur, univerſas corporis partes, et pulmones in reliquis, quo major humorum eas verſus impetus fit quoque magis diſtenduntur, eo plus irritabilitatis ſibi acquirere. Nihil autem evidentius et notius eſt, quam quod contagio tuſſis convulſivae propria ſummum humorum pulmones verſus curſum facit, quamvis ratio, qua hoc praeſtet, mortales adhuc latet, et forſitan ſemper latebit. Theoriae nobis amantiores, contagium in nervos primario agere, et ita ſpaſ-

mum

mum corporis ſuperficiei inferens humores interiora verſus propellere, audacter contendere non dubitarent. Hoc autem, judicio noſtro, nihil aliud foret, quam verba congerere, quae nodum minime ſolverent.

Nonnullorum e ſignis explicatio.

1. *Febris.*—Pyrexiam hoc in morbo ſemet oſtendere, non eſt cur miremur, ſi hanc a pleriſque contagionibus, ſi veneream excipiamus, proficiſci nobiſcum reputaverimus. Haec autem minime conſtanter ſubeſt; namque contagium febris convulſivae proprium, uti ſupra notavimus, non ſemper febrim neceſſario dare videtur. Quomodo febrim moveat, explicatu minime facile. Multis quidem, iiſque viris celeberrimis, placet, et res forſitan ita ſeſe habet, contagionem in ſyſtema nervoſum agere, ibique atoniam vi ſua ſedante gignere, aut jam factam augere, et ita ſpaſmum, cui atonia, ut omnes norunt, plurimum favet, toti corporis ſuperficiei, et externae et internae, inferre; deinde *vires naturae medicatrices*, ſaluti aegrotantis ſapienter conſulentes, reniſum ſyſtematis, quo vis peccans e

corpore

corpore expellatur, movere, et ab hoc denique omnia reliqua ſigna, quae paroxyſmum febris conſtituunt, recta profluere.

2. *Tuſſis.*—Haec autem eſt, uti celeberrimus Gregorius in *Conſpectu Medicinae Theoreticae* ſuo eam optime exponit, 'vehemens ſonora exspiratio, ſaepe,' in hoc morbo ſemper, 'invita, aëra per glottidem, nunc magis nunc minus fortiter clauſam, magno impetu ſubito expellens. Convulſio muſculorum expirationis dat inſignem aëri impetum: Contractio glottidis dat ſonum. Tuſſis ſaepe repetita et diuturna eſt, intercedente nimirum reciproca, poſt ſingulas expirationes, inſpiratione, ſed difficili, obſtructa, imperfecta, propter contractam glottidem.' Cum autem pulmones hoc in morbo, ut ſupra fuit comprehenſum, admodum ſint irritabiles, et omnia acria, ſive chemica ſive mechanica, ut mucus acris tenaxve in bronchiis excretus, aër frigidior in pulmones ingrediens, pulvis, fumus, et alia numeroſiſſima, reſpirandi viis delicatiſſimis et tenerrimis admota, tuſſim ſingulis momentis excitare periclitentur, hanc aegrotantes miſerandos plurimum exercere haudquaquam mirabile.

3. *Inſpirationis ſonorae.*—Haec, quae ab omnibus pro ſigno morbi pathognomonico habetur,

tur, ab aëre externo, pulmonibus maxima aëris ante recepti parte per expirationes reiteratas jam orbatis, per glottidem praeter conſuetudinem ſpaſmo coanguſtatam, in cavum pulmoneum magna vi et velocitate deſcendente, plane evidenterque proficiſcitur.

4. *Dyſpnoeae.*—Cum quantitas ſanguinis inuſitata hoc in morbo pulmones verſus ſummo impetu fere ſemper feratur, et ibi accumuletur, vaſa ſanguifera praeter naturam diſtendantur, et veſiculas aëriferas plus juſto comprimant neceſſe eſt. Hinc fit, ut aër externus in veſiculas nimis parce intret, eaſque rite dilatare nequeat, unde ſpiritus difficilis non oriri non poteſt.

5. *Faciei rubeſcentis et liveſcentis.*—Cum ſanguis, uti modo dictum, in pulmonibus quantitate nimia morbidaque congeratur, et per eos igitur tarde difficulterque tranſeat, reditui ſanguinis a capite per venas non parum obſiſtatur oportet. Hinc facies rubore ſuffunditur, et, inter violenter expirandum tuſſiendumve, quo tempore ſanguis in pulmonibus propemodum ſtagnat, curſumque tenere nequit, liveſcit.

6. *Profuſionum ſanguinis e partibus diverſis.*—Hae autem ab eodem fonte, unde rubor faciei et livor, proficiſcuntur; namque, ſi ſanguis per pulmones,

pulmones, ob nimiam accumulationem ibi factam, niſi aegerrime, tranſire non poteſt, vaſis exhalantibus ruptis aut dilatis, e naribus, oculis, auribus, pulmonibus, effundi conſuevit. Quod multo plus terroris adſtantibus et videntibus incutit, quam periculi aegrotantibus ipſis infert; ni tenſio enim ſyſtematis ſanguiferi hoc modo imminueretur, haemorrhagia cerebri, uti ab Hoffmanno appellatur, vel apoplexia oriri, quod revera nonnunquam incidit, periclitaretur, quae aegrotum haud dubie tolleret. Inſuper, profuſiones hujuſcemodi ſanguineae, ſi non febrim ex toto depellunt, vim ejus compeſcunt, et omnia reliqua ſigna levant.

7. *Frigoris extremorum.*—Hoc ſignum, in omnibus morbis in quibus adeſt pyrexia, accedit, et ab eo humorum impetu inſigni, qui corporis interiora verſus fit, haud dubie pendet. Ubicunque enim humorum circuitus langueſcit, aut magna ex parte deficit, ibi ſemper oritur frigoris ſenſus.

Hoc modo praecipua ſignorum exponere ſumus conati. Reliqua, utpote quae per ſe ſatis ſint manifeſta, nihil explicationis deſiderare videntur.

EVENTUS

EVENTUS MORBI.

Hic plerumque non funeſtus eſt. Si vero morbus infantes, quibus admodum parum aetatis adhuc acceſſit, potiſſimum dum dentes oriuntur, invadit, aegrotantes miſelli ſummo in periculo verſantur. Contra, ſi annum aetatis primum alterumve explerunt vel tranſgreſſi ſunt, pauciſſimi eorum, ſi morbi ſaevitiae rite occurratur, fato concedunt. Sequelis quidem morbi, ut phthiſi pulmonali, cui fundamenta nimis ſaepe jacit, extingui poſſunt. Si dentitio adeſt eoſque rapit, hoc plerumque apoplexiam iis inferendo facit. Adjunctus rubeolae, quae ſigna catarrhi quoque habet, et vitia pulmonum propria multo graviora reddit, frequenter aegrotis exitio eſt. Si pueros, debilitate univerſa pulmonumve propria, ſcrophula, rachitide laborantes; gibberos, vel parentibus, qui phthiſi pulmonale vel aſthmate fuerunt conflictati, natos occupat, eos plerumque occidit. Haemorrhagiae admodum copioſae ſummae noxae plerumque ſunt, modi-

cae,

cae, contra, ſaepe ſaluti. Quo minus aetatis pueris acceſſit, eo majori periculo objiciuntur, quo plus, eo adverſus exitum morbi laethalem tutiores. Alvus fuſa morbum leviorem, adſtricta graviorem indicat. Quo magis ſonora inſpiratio, eo plus ſpatii periculique habebit morbus. Paroxyſmi tuſſiendi violenti periculo minime vacant, quod apoplexiam, epilepſiam, vel ſuffocationem ſubitaneam poſſunt inferre, quod quidem rariſſime incidere ſolet. Quod periculum morbus habet, id febri et difficultati reſpirandi, pro rata ratione, ut Cullenus celeberrimus notat, reſpondere videtur, illis majoribus, majus, minoribus, minus. Sputum vel admodum parcum, vel admodum copioſum, praeſertim ſi huic adjungatur ſpiritus perquam difficilis, periculoſum. Si morbus incipiens ſpeciem catarrhi prae ſeſe ferat, pyrexia, ſpiritu difficili, et ſputo parciore ſtipetur, aegrotum ſaepe ante conſumit, quam tuſſis revera convulſiva evaſit. In pleriſque vero exemplis, tuſſis convulſiva et inſpiratio ſonora accedentes, ut liberius expectoretur, faciunt, et ita periculum arcent.

Cum morbus formam genuinam ſibi et propriam aſſumpſit, ſi paroxyſmi tuſſiendi nec frequentes nec graves ſint, ſi vomitione libera et

copioſa finiantur, ſi per intervalla aeger omni fere moleſtiae ſenſu careat, cibum, paroxyſmis ad finem perductis, protinus appetat, bene dormiat, et nec febri nec ſpiritu difficili vexetur, morbus nihil periculi habebit, ſed brevi ſponte ſua decedet. Pater Gregorius, quo, uti ab omnibus accepi, nemo artem Hippocraticam accuratius noverit, aut virtutes viro optimo dignas conſtantius excoluerit, ſe nullum * exemplum, ubi paroxyſmi vomitu finiri conſueverint, funeſtum vidiſſe memoriae prodit. Exempla vero, ubi corpus plenius, et nihil ſanguinis ſub initia fuit detractum, ubi paroxyſmi vomitione ſponte naturae accedente deſtituti ſunt, omnia mala, immo mortem ipſam, infelici aegroto intentant.

RATIO MEDENDI.

Curatio hujuſce morbi, ut inter omnes medicos convenit, in primis difficilis. Medicina nihil aliud quam vim ejus infringit, neutiquam, priuſquam curſum naturalem peregit, depellit. Cum

* Vide Praelectiones Manuſcriptas.

Cum contagium in ſyſtema corporeum ſemel intravit, nec, ut Cullenus notat, qua ratione corrigi, nec qua ratione poſſit expelli, novimus. Igitur morbus in aliquantum temporis pergat neceſſe eſt. Probabile vero eſt, hoc contagium, in morem plerorumque aliorum, agere tandem ceſſare, et morbum poſtea, ut in aliis vitiis convulſivis incidere ſolet, vi conſuetudinis ſola produci. Cum res ita ſe habeant, cumque nulla omnino medicamenta, quae morbum brevi valeant depellere, comperta habeamus, nihil aliud ſub initium quam gravitatem ſignorum levare poſſumus. Ex omnibus vero ſignis febris maxime reſpicienda eſt, quae longe maximam eorum, quos morbus abſumit, partem occidit. Febre autem ſublata vel ſaltem levata, ratio tuſſis, quae per ſe, aut aliis ſignis gravibus non adjuncta, raro exitialis evadit, habenda. Conſilia igitur medendi duo eſſe videntur.

I. Pyrexiae effectibuſque ejus occurrere.

II. Tuſſim, ſi fieri poteſt, tollere, ſaltem leviorem efficere.

Quantum autem ad conſilium prius attinet, pyrexiae effectibuſque ejus, praeſertim pneumoniae, quae ob curſum humorum nimium, pulmones verſus factum, non parum oriri periclitatur,

tur, efficaciſſime occurrere poſſe videntur ſequentia.

1. *Sanguinis detractio.*—De uſu hujus alii alia ſenſerunt. Cum morbus affectibus ſpaſmodicis, ubi magnae ſanguinis jacturae plerumque alienae eſſe reperiuntur, plane annumerandus ſit, cumque infantes et pueri, qui hanc evacuationem peſſime ferre conſueverint, eo potiſſimum laborent, ad hoc remedium in tuſſi convulſiva ſaepe decurrere raro conveniet. Si vero ſigna plenitudinis manifeſta ſint, et ſanguis per pulmones difficulter tranſire videatur, minime negligendum, immo, praeſertim ſub initium morbi, ut ad idem rurſus confugiatur aliquando neceſſe eſt. Non pauca exempla ipſi vidimus, ubi miſſio ſanguinis, morbo recente et febre urgente, imprudenter neglecta, multum incommodi ſecum adduxit, et in cauſa, cur exitus fuerit funeſtus, eſſe plane viſa eſt. Quicunque igitur, rebus ita ſe habentibus, ſanguinem potius liberaliter, quam parce, ratione tamen idonea aetatis et virium aegrotantis ſemper habita, detrahet, is, judicio noſtro, hoc morbo laborantium ſaluti, quam qui aliter faciet, multo melius conſulet. Nonne morbi ſpaſmodici remedia antiſpaſmodica poſtulant? Quidnam autem antiſpaſmodicum ſanguinis detractione potentius? Quidnam

ad

ad caput et pulmones nimia ſanguinis mole onerata levanda melius accommodatur? In hanc ſententiam Sydenhamius ſagaciſſimus olim conceſſit, qui vim morbi ſanguinis miſſione alvique purgatione reiterata infringere conſuevit, et ſe omnia alia incaſſum adhibuiſſe affirmat. In eandem celebris Huxhamius, qui de morbis anni 1739 epidemicis diſſerens verba ſequentia habet: "Tuſſis convulſiva inter pueros frequens; acerrime quidem ſaepe poſt morbillos ſaevit, vix utique compeſcenda, niſi miſſione ſanguinis tollatur *diatheſis phlogiſtica*." Item de morbis anni 1744 epidemicis verba faciens haec memoriae prodit: "Tuſſis convulſiva inter pueros epidemica, ad quam profligandam magis fuit neceſſaria ſanguinis miſſio quam memini unquam, etiam in puerulis tenerrimis, quorum ſanguis haud raro non levi obductus erat glutine." Dum morbos anni 1747 epidemicos depingit, quod ſequitur profert: "Tuſſis convulſiva peſſima inter pueros graſſatur pluresque ſtrangulat; ſanguinem perſaepe expuunt, et haud levis interdum accedit febris. His ſanguinem mittere neceſſe eſt prorſus, imo aliquando bis, terve, etiam bimulis trimuliſve." Alibi idem vir clarus adjicit: "Sive evidens plethora adſit, ſive ſputum

ſanguine

ſanguine tinctum, venaeſectionem praecipio ſemper; idque praecipue, ſi febricula, quod ſaepe fit, urget, aut vultus inter tuſſiendum fere nigreſcit: Hanc inſuper repeto nonnunquam, pro ratione ſcilicet virium et aetatis."

2. *Laxantia.*—Cum alvus adſtricta febrim ſemper intendat, tuſſimque graviorem efficiat, hanc modice ſolutam per totum morbi decurſum tenere conveniet. Caeterum ab evacuationibus largis caute abſtineatur, quae corpus nimis irritando et debilitando plerumque nocent, et finem morbi nunquam faciunt.

3. *Epiſpaſtica.*—Haec curſum humorum a pulmonibus avertendo plurimum ſaepe proſunt, in iis potiſſimum, qui plenitudine et conſtitutione corporea phlegmatica evidenter laborant. Larga et ampla ſint, et thoraci ipſi potius, quam parti a pulmonibus magis diſtanti, admoveantur. Non cito tollantur, ſed longum per ſpatium, immo per complures dies, applicentur. Ita enim humores ab interioribus corporis ad ſuperficiem potentius evocabunt, et, ut iidem copioſius evacuentur, facient. Partibus, quibus admota fuerant, ſanatis, ad eadem rurſus confugiatur. Namque ab iis hoc modo adhibitis multum auxilii ſperandum.

4.

4. *Emetica et diaphoretica.*—Haec in tuſſi convulſiva admodum utilia ſunt, quod reditui affectuum ſpaſmodicorum potenter obſiſtunt, pulmones mole humorum nimia impetum eorundem ſuperficiem verſus faciendo levant, et bis, terve, quaterve adhibita, proclivitatem ad vomitionem illam ſpontaneam, quae hoc in morbo adeo ſalutaris eſt, aliquando movent. Cum haec orta eſt, per artem mota non amplius neceſſaria. Plena vomitio frequenter excitetur, et per intervalla, quae inter tempora plene evomendi intercedere oportet, praeparata ex antimonio iis doſibus, quae nauſeam tantum moveant, data non parum prodeſſe poſſunt.

Quae vomitum optime cient, ea ſunt ex antimonio conflata, et omnibus reliquis anteponendum eſt tartarum emeticum, forma ſolutionis parviſque quantitatibus datum. Si notae inflammationis magna ex parte ſublatae ſunt, vel ex toto deceſſerunt, opium vel potius laudanum liquidum huic adjunctum vim diaphoreticam potentiſſimam habet, et perſpirationi ſuppreſſae, quae hoc morbo laborantes fere ſemper infeſtat, et omnia ſigna graviora reddit, inimiciſſimum eſt. Idem ſummo cum commodo praeſtat ſyrupo ſcillitico vinum antimoniale admiſtum, quod

et

et vomitionem lenem et perſpirationem ſalutarem movet. Et hoc et illud remedium ſucceſſu cum proſperrimo adhiberi ſaepe vidimus.

5. *Fomenta.*—Haec multum, curſum humorum a pulmonibus faciendo, juvare ſolent. Frigus extremorum, potiſſimum pedum, haec admodum neceſſaria efficit. Igitur et manus et artus inferiores in aquam tepidam frequenter immittere, et ibi per ſpatium ſemihorae aut circiter ſervare conveniet. Pannis laneis ex eadem intinctis, et accurate poſtea compreſſis, partes modo commemoratas involvere idem fere praeſtabit.

6. *Liquores diluentes.*—Hi, dum pyrexia aegrotantes exercet, aeque liberaliter, ac in ſynocha, adhibendi ſunt. Senſum moleſtiae a ſiti proficiſcentem tollunt, et perſpirationem adaugent, quae libera tuſſim non parum imminuere conſuevit.

Quantum alterum medendi conſilium ſpectat, ei accommodari videntur antiſpaſmodica et tonica; namque, pyrexia ſigniſque inflammationis ſublatis, morbus a vi conſuetudinis ſola, et debilitate et irritabilitate meris, pendere putatur.

1. *Antiſpaſmodica.*—*a.* Caſtoreum.—Hoc ſummis laudibus fuit elatum. Quanquam vero mul-

ta

ta ejus pericula a noſtratibus facta fuerunt; non multum tamen auxilii inde deductum eſt.—*b.* Moſchus.—Hic quoque, licet non pauci eum laudibus ornaverint, non multum opis tuſſi convulſiva laborantibus attulit. Genuinus quidem apud Britannos minime parabilis, et quantitatibus nimis parvis forſitan datus fuit.—*c.* Opium. —Quanquam hoc, quantum noverim, morbum nunquam ex toto depellit; remedium tamen perquam neceſſarium eſt, praeſertim cum humor acris in bronchiis et per totam tracheae longitudinem excernitur, qui partes, quibus applicetur, magnopere ſtimulat et irritat, et tuſſim igitur frequentiſſimam et moleſtiſſimam reddit. Hanc, ſenſilitatem partium modo dictarum imminuendo, plurimum levare ſolet. Elixir paregoricum eſt forma, quae, multorum judicio, efficaciſſima eſſe videtur. Ad opium vero, ſi multum febris ſpiritûſve difficilis adſit, minime confugiendum.—*d.* Cicuta.—Haec poteſtate antiſpaſmodica praedita eſſe videtur; et igitur per hoc morbi ſtadium in auxilium ejus prompta eſſe poteſt. Doctori Butter et aliis, qui ea fuerint uſi, bene ceſſit. Spem quidem medicorum apud Scotos, uti Cullenus celeberrimus fatetur, ſaepe fefellit. Hoc vero forſitan accidit, quod

parum idonee fuit parata. Periculum ejus haud dubie fieri debet. Namque ad remedium etiam anceps, ubi tot alia incaſſum adhibentur, decurrere operae pretium eſt.

Non alibi aptius forſitan, quam hic, memorari poteſt, expectorantia, uti vocantur, parum prodeſſe ſolere. Plurima hoc genus adhibita fuerunt, qualia ſunt ſyrupi, olea, mucilagines. Nihil aliud revera quam ventriculum perturbant, appetitum proſternunt, et concoctionem imminuunt; et igitur tantum abſunt, ut febrem tuſſimve levent, ut, contra, plane ſaepe noceant.

2. *Tonica.*—*a.* Terror.—Hic forſitan remedium potentiſſimum eſt; ſed uſum ejus rite adminiſtrare, gradumque ejus juſtum et idoneum metiri, in primis difficile eſſe videtur. Igitur eo, cum gradus ejus levis nihil prodeſſe, magnus obeſſe poſſit, abſtinere ſatius eſſe judico. *b.* Cortex Peruvianus.—Ad hunc, diatheſi phlogiſtica ex toto ſublata, tuto confugi poteſt. Quamvis morbum nunquam ſubito tollit, in exemplis tamen innumeris evidentiſſime profuit. Omnia ſigna leviora reddit, et decurſum morbi haud dubie breviorem efficit. Tam liberaliter, quam ventriculus aegrotantis, cui plerumque non mul-

tum

tum aetatis acceſſit, ferre poteſt, aſſumendus. Subſtantia datus plurimum efficaciae habet. Si vero hanc formam reſpuat ventriculus, decoctum infuſumve adhibeatur. Per ſe detur, nec cantharidibus caſtoreove, ut ſuadent nonnulli, adjungatur. Ita effectus ejus, quod multum optandum, certius cognoſcentur. A viro perquam docto et ingenioſo accepi, ſe in exemplo ſui filii, febre jam accedente, ſub initia morbi ad corticem Peruvianum confugiſſe, qui votis ex toto reſpondit, et febrim, non tantum in praeſens, ſed in poſterum quoque, omnino depulit. Cum idem remedium febribus venientibus non raro occurrat, et hoc debilitatem et atoniam tollendo praeſtare videatur, quid obſtat, quo minus ad id hoc in morbo mature decurratur? Haud dubie operae pretium eſt ejus facere periculum, cum morbus tot millibus ſoleat eſſe exitio. *c.* Vitriolum caeruleum.—Hoc quantitatibus admodum exiguis, et, ut quidam medici Anglici, quos optime noverim, contendunt, ſucceſſu cum proſpero, fuit tentatum, aqua roſarum ſimilive ſolutum.—*d.* Lavatio frigida.—Haec, nonnullis in exemplis, tuſſim convulſivam inveteratam et pertinaciſſimam ſuſtulit. Ad eam vero non de-

bet

bet decurri, ſi ulla pulmonum obſtructorum vel haemoptoes vel febris ſigna ſemet oſtendunt.

Quantum ad muſcum pyxidatum et corticem viſci quercini attinet, vi ſua adſtringente et roborante ſola agere, et igitur nonnihil ad naturam corticis Peruviani accedere videntur.—*e.* Exercitatio.—Haec, omnibus pyrexiae ſignis depulſis, ſummi momenti eſt. Species hujus optima eſt geſtatio, quae ſingulis diebus adhibenda. Ægrotus vel equitet rhedave vehat, unde non parum commodi capiet. Nihil enim, ut omnes norunt, exercitatione frequenter adhibita, ad vires corpori debilitato reſtituendas accommodatius eſſe poteſt.

Cum morbus a vi conſuetudinis ſola pendere videtur, ad mutationem aëris, ubi morbus ortus, decurratur neceſſe eſt, quam in auxilium ejus non parum promptam eſſe experientia quotidiana demonſtrat. Non minus efficaciae, quod quidem mirabile, licet e meliore in pejorem migretur, dummodo migretur, habere videtur. Urbe relicta, rus, quam, rure relicto, urbem petere praeſtat. Non pauca exempla memoriae fuerunt prodita, ubi, pueris ab urbe rus devectis, omnia morbi ſigna intra biduum triduumve magna ex parte fuerunt levata. Cullenus vero, omnium

quidem

quidem quae morbos ſpectant obſervantiſſimus, aëra mutatum nunquam morbo ex toto mederi, et effectus ejus tantum fugaces eſſe, contendit.

Hoc modo pleraque, quae ſuper tuſſi convulſiva dictu neceſſaria videbantur, percurrimus. Quaedam conſulto omiſimus, quae parvi vel nullius momenti eſſe judicavimus.

F I N I S.